



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

De Mortis Memoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

amiserat recuperavit. Legerat prophetantem David Psal. III. Quod DEUS de terra suscitet inopem, & de stercore erigat pauperem. Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra, pudor est ut unusquisq; sua crimina prodat, sed ille pudor agrum suum curat, spinas tollit perpetuas, sentes amputat, fructus exhibet quos jam mortuos esse credebat. Sequere illum qui bene arando agrum suum fructus quasiuit eternos. Maledicimur, inquit, & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus. Si & tu sic araveris, seminabis spiritualia. Ara ut peccatum auferas, fructum acquiras.

STRENA VI.

De Mortis Memoria.

DAbo vobis in Strenam hanc die Reliquias Sanctorum. Joannes Damascenus, pius & antiquus Scriptor atque Ecclesie Doctor describens vitam Josaphat & Barlaam, eorumq; gesta ac peregrinationem, refert hos Sanctissimos viros secum ferre solitos ossa quaedam, seu reliquias SS. Martyrum, eaque in magno habuisse pretio. Cumq; aliquando rogarentur a quodam Principe viro, quam ob causam hanc mortuorum ossa quotidie circumferrent, responderunt, sese hanc observare consuetudinem ob varias considerationes. 1. In memoriam talium Martyrum vitam defunctorum. 2. Ut per aspectum sacrarum reliquiarum subinde excitari possent ad eos imitandum. 3. Ut per contactum eorundem ossium, quae sanctificata fuerunt per Spiritum S. etiam ipsi sanctificari possent. 4. & postremo. Ut videntes hanc ossa semper reminiscerentur futuræ mortis.

Nimirum usq; adeo existimabant salutarem illi viri mortis esse recordationem, ut ob hoc potissimum mortuorum ossa secum deferrent. Sed quid mirandum quod illi hoc sibi persuasum habuerint,

buerint,

buerint, cum & hoc ipsum Plato Philosophus Ethnicus licet sibi persuasum habuisse videatur. Docet enim ille in Phædone, *Summam Philosophiam esse mortis meditationem.* Eò, quòd hujus rei meditatio magnum obijciat peccatis obstaculum ac remoram. Quòd equidem disertissime Scriptura testatur Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis.* Quasi diceret, hoc fræno sic compesces & constringes omnes passiones & appetitus carnales, ut non facile in ullum peccatum mortale præcipiteris. Hinc quidam antiqui Reges ac nominatim Philippus Macedonum, constituebant certum aliquem cui demandabant hoc ministerium, ut quotidie matutino tempore accurreret ad ostium cubiculi sui, diceretq; hæc verba. *Domine mi Rex meminervis te moriturum, seu memento esse hominem.* Ipsa etiam die, quâ Imperatores solent coronari, quatuor aut quinque artifices cum lapidibus diversi generis ad coronatum ingrediuntur, & ipsum metinterrogant. Ex quo ô Imperator, horum lapidum tuum monumentum fabricemus? Philosophi etiam qui Brachmani dicebantur, solebant apertum quoddam sepulchrum ante fores ædium suarum construere, ut intrantes & exeuntes semper mortis reminiscerentur, & à peccatis tantò magis sibi caverent. Sed jam ad vos Christianos, quid putatis causæ esse, quòd olim DEUS volens instruere Jeremiam Prophetam cap. 18. mandaverit illi, ut iret in domum figuli, ibiq; verba DEI audiret? an non potuisset illi Dominus loqui loco alio? equidem poterat, sed voluit eum in domo figuli audire verba sua, ubi in luto & terra operabatur, ut eò melius humanæ conditionis, ejusque fragilitatis ac mortalitatis memoriam teneret, sciretque homini jam pridem dictum. *Memento quia terra es, & in terram reverteris.* Quemadmodum ergo DEUS Prophetam misit in domum figuli ut ibi discerret ac audiret verba divina, ita ego vos mitto omnes ad domum

sepul.

sepulchri tanquam scholam famosissimam, ut ibi coelestem, quendam Philosophiam hauriatis. Ibi enim discetis, quàm sit brevis, fragilis, caduca, fallax, & inanis humana vita. Ibi discetis vitam nostram esse *ventum* Job. 7. Ibi discetis vitam nostram esse *fanum* Pl. 102. Ibi discetis vitam nostram esse momentum Isai 10. Ibi discetis vitam nostram esse *vaporem* Jacob 4. Ibi discetis vitam nostram esse *umbram* Pl. 108. Ibi discetis vitam nostram esse *succisum florem* Pl. 101. imò flore succiso deteriorem & infeliciorem. Flos namque licet succisus, ficcus, marcidus, adhuc benè olet, homo autem falce mortis sectus, mox corrumpitur, putrescit, ac gravissimè foetet. Denique ibi discetis vitam vestram esse *vanitatem* Pl. 38. *Verùm tamen universa vanitas omnis homo vivens.* Et Eccl. 1. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* An non mera vanitas est quòd in hoc mundo amplissima & pretiosissima quæramus palatia, cum tamen in sepulchro contentos nos oportebit esse angustissimo & vilissimo novem vel decem pedum domicilio? ut merito Alexandrum irriserint, qui de eo post mortem dixerunt Plut, in Alex. *Heri Alexandro totius terra spatium non sufficiebat, hodie Alexandro sufficere debet sepulchrum vel quatuor ulnarum.* *Heri Alexander terram oppressit, hodie Alexander terrâ opprimitur.* An non summa vanitas, quòd hic in mundo corruptibili hoc nostrum corpus tam pretiosis & exquisitis adornemus vestibus, quòd in sepulchro operietur serpentibus ac bufonibus? An non summa vanitas, quòd hoc moriturum corpus tam delicatis fovere delectat alimentis, quòd futurum est alimentum insectorum? An non summa vanitas, hoc mortale corpus hic tam splendida ac opima ambire convivia ac epulas, quòd tam horrendi convivæ epulaturi vermes dico, serpentes, bufones, mures. Ibi discetis hoc nostrum corpus quòd aliquando servi ac famuli stipaverunt ac defenderunt contra

H

adversa-

adversariorum incurtus, jam à nullo amplius defendi contra morsus venenatorum animalium. Verè univèrsa vanitas omnis homo vivens. Rursum in hac schola disceris non esse feliciorè Regum, Principum, ac Imperatorum sortem quàm rusticorum, & mancipiorum. *Pallida mors a quo pulsat pede pauperum tabernas Regumq; turres.* Contemplare nunc obsecro cineres alicujus pauperis, & contemptibilis homuncionis, eosq; confer cum cineribus ac ossibus ditissimi ac potentissimi Regis vel Imperatoris, & vide num eos discernere poteris. Imò ad hoc convoca omnes Philosophos, Doctores, Sapientes, Medicos, &c. ut tibi dicant, quænam sit horum discretio, & vide utrum id præstare poterunt? Sanè in 4. Reg. 9. legimus quòd cum pulcherrima illa, florentissima, ac potentissima quondam Regina Jezabel de fenestris præcipitata, atq; à canibus maximâ sui parte dilaniata, transeuntes dixerunt, & cum stupore magno exclamaverunt. *Heccine est illa Jezabel?* illa inquam Jezabel, nobilis, famosa, venusta, potens ac gloriosa? Illa, iterum dico, Jezabel, quam omnes suspiciebant, venerabantur, adorabant? Illa Jezabel, cujus imperio ac nutu, parebant universi? Eheu quàm jacet contemptibilis, ignobilis, ignominiosa? quænam hæc tam stupenda metamorphosis? Ad eundem modum si nunc quisquam nostrum sepulchrum aliquod aperiret, in quo fortè jacet famosa & formosa quædã fœmina, sive puella cujus amore tantoperè inescatus eras, cujus aspectum tantoperè amiebas: videns hoc ipsum corpus scaturire fœdisissimis vermibus, ac omninò corrosum & dilaniatum improbis eorum moribus, annon stupefactus exclamares. Hocine illud corpus cujus elegantiam, ac compositam venustatem toties admiratus fui? ubi nunc rubicunda facies tibi depicta? ubi nunc coruscantes oculi? ubi nunc disertissima & melliflua lingua, ubi ornata comæ & capillitia? ubi pretiosa vestes? ubi famulorum ac famularum turba? ubi musici ac tibicines? ubi ludi, ubi voluptuosa convivia? Eheu nihil

hil horum hic intueor: *Transferunt illa omnia tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam navis que transit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit, non est invenire vestigium.*

Hanc dico tam salutarem doctrinam possitis haurire in schola illa sepulchri si frequenter illam adiretis, ac dociles & attentos discipulos ibidem vos præberetis. Sed proh dolor, pauci hanc scholam adeunt, aut si adeunt, parum in ea proficiunt. Equidem crediderim esse fanaticum aliquem cacodæmonem qui ab hac nos tam utili schola arceat, qui hujus rei de qua agimus, meditationem, contemplationem, & Philosophiam, nobis avertat, vel excutiat. Quis foret enim alioqui possibile ut hujus rei tam citò eventuræ, tam alta nos oblivio caperet?

Omnes viam mortis ingredi necesse est, testatur hæc natura, docet experientia, clamat Scriptura, *statutum est omnibus hominibus semel mori.* Non licet hic nobis uti vocabulo, *fortè*, sicut faciebat Eva cum diceret, *ne fortè moriamur.* Sed vocabulo, *certò*, & *infallibiliter.* In omnibus sermonibus vocabulum *fortè* locum habet, hic verò minimè, &c. Sit ergò cuilibet quilibet annus suspectus, sit & quilibet mensis, quælibet dies, quælibet hora, &c. Et cogitemus singula horum dum currunt, nobis esse postrema juxta illud Eccl. 38. *Mihi heri, tibi hodie.* Si sic fecerimus, futurum est ut maturante morte non timeamus, sed cum fiducia dicamus, *Mori non timeo in Christo.*

PARS SECUNDA.

Strenæ Particulares.

STRENA I.

De his quæ fuerunt circa Nativitatem Christi,

Seprem sunt in Ecclesia Status seu condiciones hominum, 1. Magistratus Ecclesiasticus. 2. Magistratus civilis. 3. Status

H 2

Vir-